

DE
VITÆ GENERVM
N E X V

ET
SVBORDINATIONE
AMPLISSIMI ORDINIS PHILOSOPHICI

CONSENSV
DISPV TABVNT
PRÆSES

M. Gottfried POLYCARPVVS Müller,
EL ET POES. P. P. EXTR.

ET
RESPONDENS
GEORGIVS CONRADVS LEHMANN,

LIPS.
D. XXVII. JUL. AN. cIs Iccxx.
H. L. Q. C.

LIPSIÆ,
LITERIS IMMANVELIS TITIL.

VITAE GENIERRAM
V. N. E. X. V.
ET
SACREDINATIOINE
AMPRESSU ORIGINE PHILOSOPHICI
DISPUTATIONI
M. G. M. P. O. I. C. V. R. P. A. S. M. U.
EE ET POES. P. L. R. T. R.
TA
LITERIS
G. O. R. G. I. A. S. C. O. R. V. D. A. S. F. E. H. M. A. N. I. N.
P. I. P. 2
LITERIS
H. E. G. C.
A. V. A. 1. X.
LITERIS IMMUNATIS TITI

VIRO ILLUSTRI
MAGNIFICO AC EXCELLENTISSIMO,
DOMINO
ABRAHAM. CHRISTOPH.
PLAZIO,
DYNASTÆ IN MOKAU,
ALTEM PLOESSEN, &c.
SERENISSIMI AC POTENTISSIMI
REGIS POLONIARUM A CONSILIIS APPEL-
LATIONIS, SUPREMÆ CURIÆ PROVIN-
CIALIS, UT ET SCABINATUS ASSESSORI,
REPUBLICÆ LIPSIENSIS CONSULI SENIO-
RI, TEMPLI AC SCHOLÆ NICOLAITA-
NÆ ANTISTITI MERITISSIMO, JURE-
CONSULTO SUMMO,

DOMINO AC PATRONO MEO
SUBMISSO HONORIS
ET OBSEQUII CULTU SUSPICIENDO.

VIR ILLUSTRIS,

Magnifice ac Excellentissime,

Domine ac Patrone, submissō honoris &
obsequii cultu suspiciende.



In eisdem Nominis Tuo
perquam illustri studio-
rum meorum Academi-
corum, qua adhuc in her-
ba sunt, primitias dedica-
re dubitavi: sed omnem
mihi metum excusfit, singularis ille favor, quo in hac
olim Academia Patrem meum dignatus es. Dulcis
est

est ipsi recordatio istius temporis, cum jam inter tot
clientes Tuos summum Te veneratur Patronum.
Et quis Nominis Tui splendorem, longe lateque di-
spersum, venerabundis oculis non suspiciat? Tota pa-
tria & patres ejus conscripti Te colunt ut patrem
suum: summa Tua Autoritas urbem, orbem litera-
rium ingens rerum peritia, Reipublicæ cura admira-
tione dignissima curiam, consilium denique promptis-
simum aulam complet & illustrat. Persona Tua il-
lustris maximis aucta est muneribus, sed longe majo-
ra adhuc meretur. Tot honoris ornamenta Tibi
concessa magis ornas quam ornaris. Ad salutem
Patriæ conservandam gravissimos quidem labores
sustines, sed indefessum Tuum studium, ingens ani-
mi capacitas, & promptitudo plane admirabilis lon-
ge pluribus Te parem esse probant. Sera posteritas
Te consiliarium prudentissimum, Consulem optimum,
&, ut verbo dicam, Jure consultum maximum
perpetuo prædicabit. Hac splendida prorsus nomina
clientes omnes in tacitam Tui admirationem rapiunt,
ut ad Te, velut ad oraculum, undique advolent.

Quam ob causam ego quidem illius obsequii, quod pa-
ter meus Tibi se debere confitetur, exasse hæres sub
umbram Patrocinii Tui configio, ut & hunc com-
mumem Jurisprudentia patrem consulere possim.
Unicum & maximum hujus munusculi Academici
lucrum erit indubia spes patrocinii Tui. Hæc au-
tem magis magisque confirmabitur, cum, quicquid
hujus est opelle, serena fronte susceperis. Cœterum
omnium bonorum precibus meas jungam, ut Deus T.
O. M. Te patria, curia, aula, familia, & si parvam a-
gnis componere licet, mihi, clientum Tuorum devotissi-
mo, in seros annos sartum tectumque conservare velit.
Ita votet

**TUI ILLUSTRIS ET EXCEL-
LENTISSIMI NOMINIS**

Lipſie IX. Cal. Aug.
1580.

studiosissimus Cultor

GEORG CONRAD LEHMANN.

DE
VITÆ GENERUM
NEXU
ET
SUBORDINATIONE.



§. I.

Um nihil sit viceſitudine ſtudiorum officiorumque jucundius, nemo facile mirabitur, quod omnes boni, in civitate maxime, in vita quodam genere addiſcendo exercendoque ſedulo elaboraverint, ut aliis proſint, & auxilio aliorum digni habeantur. De his vivendi conditionibus, quibus officiorum ſocialis vita permutatio plurimum nititur, ita differere animus eſt, ut non tantum nexus, quo ex ſe invicem generantur, ſed subordinatio quoque, aut unius præ altera dignitas, perſpicue cognoscatur. Multum huic doctrinæ inefit, ad juris, quod a natura accepimus, officia ſpecialiſſima, vel singularia potius, a plurimis aut omissa, aut inter ſe confuſa, ordini & integritati vindicanda: plurimum quoque hinc ad prudentiam vivendi, ſi tradi ordine & perfecte debet, accedit, ni generalia nimis aut confuſa singularibus & apte ac perſpicue dispositis præferre velis. Omnium maxime per vitæ genera, hoc modo examinata, civitatum internus nexus, & mutua omnium civium ad commune bonum conſpiratio, qua in ſana politica plurimum prodeſt, clarissime cernitur; ita ut doctrinæ hujus

A 2

uſus

usus se in omneim fere de moribus philosophiam diffundat.

§. II.

Est autem genus vitæ, ut descriptione quadam utar, certa & determinata species negotiorum aut laborum, quibus media conservandæ tuendæ vita inter homines queruntur, ut res agraria aut pecuaria, opificia, artificia, munus regendi, docendi, & alia magno numero plura. Non una voce in civili vita hoc genus vitæ designari consuevit, cum modo genus vivendi, modo conditio aut ratio vivendi, modo professio, modo status hominum denominetur. Quin imo cursum vivendi & genus ætatis degendæ dici posse ex CICERONE Offic. L. I. c. 32. discimus: nam in primis, inquit, constituendum est, quos nos, & quales esse velimus, & in quo genere vite, que deliberatio est omnium difficillima. Ineunte enim adolescentia, cum est maxima imbecillitas consilii, tum id sibi quisque genus ætatis degendæ constituit, quod maxime adamavit. Itaque ante implicatur aliquo certo genere, cursuque vivendi, quam potuerit, quod optimum esset, judicare. Viam quoque vivendi dixit, quanquam non tam id, quod nobis genus vitæ dicitur, quam virtutis aut vitiæ exercitationem & electionem hac voce indicare voluisse mihi quidem videatur.

§. III.

Longius ab usu Latii vox professionis, a quibus professores nomen ducunt, eo, quem hic sequimur, sensu abest. Etenim constat inter omnes, omnia fere vitæ genera hodie profesiones dici; (er ist von Profession ein Künstler, Handwerksmann, Gelehrter, &c.) cum tamen haec vocis, tam lata & ampla notio, aut sequioris sit, aut jam prolapſa,

ET SUBORDINATIONE.

5

lapsa latinitatis. Quos nostra aetate professores dicunt, Cicero magistros aut doctores alicuius disciplinae aut artium quarumcunque semper appellavit. SUETONIUS c. IX. de illustribus Grammaticis professorum voce hac, quae hodie obtinet, potestate usus est, & QUINTILIANUS in *flit. orator. L. i. C. IX. L. II. C. XI.* de grammaticis & rhetoribus professores & professionem adhibuit, uti Plinius dialecticae & sapientiae professores recenseret. Vocem profiteri de publica doctrina facile invenies, sed artium & scientiarum, quae eruditorum sunt; professio autem de eorum denunciatione, quae quisque possidebat, quae confessio apud prætorem urbanum fieri solet, quam imperatores, & provincia decedentes, apud decemviro profitebantur, frequentissimo usu accipitur. v. CICER. pro Archia poeta c. IV. Ut vero nostra aetate professorum nomen solis eruditis tribuimus, antiquum usum tenentes; ita professionis titulum invita antiquitate communem plurimis vita generibus fecimus. De omnibus vita generibus professionem accepit JOH. BAPTISTA LEONELLUS BARTHOLINUS, in Perusino Gymnasio canonici juris professor, Tractatu de precedentia hominis Perusiae anno MDCL edito Quest. IX. art. 1. 2. De iis, qui monachatum ingrediuntur, in Jure Canonico saepe occurrit, imprimis septimo decretalium L. III. Tit. XII. ita ut vere scripserit ille, quem modo nominavi BARTHOLINUS: *professio est ad interrogata responsio. Hinc est, quod religiosi respondendo dicunt, Et promittunt servire Deo in illa religione, quam sunt ingressi, Et propterea dicuntur in ea professionem fecisse, atque ejusdem professi.*

A 3

§. IV.

§. IV.

Nec status vox ejusdem est cum vitæ genere virtutis, si eam rite astimes, licet hodie per vulgata sit, cum status (die Stände) omnia notare vitæ genera soleant. Evidem nullum est dubium, quin status quamcunque significet rerum hominumque conditionem & habitum, (licet rarius status & motus apud Latinos opponantur) uti status cœli & terræ, reipublicæ atque hominum, passim legitur: nullibi tamen vita genus, uti hoc descripimus, scriptoribus, nisi recentioribus, notavit. Nam ex quo illustris PUFENDORFIUS magnam philosophiæ moralis partem formare melius, ac exquisitius tradere, elaboravit, entiaque, quæ dixit, moralia primo statim juris naturæ & gentium capite libri primi in classes & ordines quasi descriptis, voce status non tantum de conditione quamcunque hominum, sed & imprimis de vita generibus, usus est, ita ut cum ipsa disciplina Pufendorfiana vocis usus aut abusus apud recentiores fuerit propagatus. v.c. I. §. 6.7.8.
g. 10. II. Statum ens morale suppositivum dixit, ob analogiam, quam habet cum spatio, quod itidem non sit ens primarium, sed eo destitutum, ut ceteris velut substernatur, eaque certo modo sustineat. Porro uti spatium duplex est, cum Pufendorfio loquor, unum secundum quod res ubi esse dicuntur, aut in loco, alterum secundum quod dicuntur esse quando, aut in tempore: ad eundem modum duplicitis generis statum esse, unum, qui notet, ubi morale, seu qui cum loco aliquam habeat analogiam, alterum, qui notet respectum ad tempus, quatenus ex eo moralis aliquis effectus redundaret in illos, qui in isto tempore existere dicuntur. Priorem statum in indeterminatum

VI q

A

minatum & determinatum divisit, ita ut, si Pufendorfii mentem sequaris, vitæ genus ubi morale determinatum, seu status primi generis determinatus, dici mereatur. Neminem fore arbitror, qui hanc Pufendorfianam nomenclaturam non oppido inconcinnam coactam & obscuram, deprehendat: siquidem id, quod omnes norunt atque intelligunt, circumductione & metaphora difficiili ita involvit, ut vix agnosc amplius possit. Persuaserat sibi exquisitissimus vir, res, quas morales dicimus, cum ad classes entium, quæ a peripateticis prædicamenta dicuntur, reduci nequeant, ad modum rerum physicarum in arborem describi prædicamentalem debere, quam cum novo ausu non sine cura delinearet, & substantias, qualitates, quantitates &c. morales fingeret, ne quid deesset, ubi quoque morale concepit, & statum dici posse confessus est. Quod si hæc allegoria rerum moralium definitiones, harumque genera, non obscurasset, facile quidem posset ferri; quamquam hic monuisse sufficiat, quod vox status, de vitæ generibus hac occasione usurpata, frequentissime postmodo hanc notionem apud nostrates obtinuerit. Illa autem ejusdem vocis potestas, qua civitatem vel rempublicam more ab Italib⁹ recepto, a Germanis adscito, notat, unde status ratio, quam arcanum imperii, aut dominationis jus, latine diceret, derivata fuit, hic in censum non venit, sed politicæ publicæ scriptoribus merito relinquitur.

§. d. V.

Quemadmodum vero circa vitæ generis denominationem non una occurrit diversitas; ita & hæc ipsa vitæ generis notio non eadem omnibus est. CICERO ipse modo pro artis genere, quo in civitate vivendi media conqui-
rimus

rimus, modo pro via virtutis aut vitii accepit. Nam Herculem Prodicum aut Xenophontium, sive de quo Prodicus in libro de Hercule, & Xenophon ex Prodico scripsicerat, in solitudine diu secum multumque dubitantem, an virtutis an voluptatis viam ingredeleretur, ut exemplum ejus, qui vita genus eligit, loco superius allegato introduxit. Nobis vita genus eam tantum negotiorum peritiam, aut illud tantum laboris exercitium, notat, quo vita media inter alios quarimus, (davon man unter andern Menschen lebet.) Non ergo quilibet ars, scientia, aut quilibet animi habitus, quatenus animo constat, & in eo nititur, vita genus est, nisi ad externa vita conservationem & felicitatem per externas actiones conferatur. Neque proprietates corporis, ut juventus, senecta, aut mentis, ut eruditio, virtus & vitium, aut externa vita, ut inimicitia & amicitia, vita genera constituent; quamquam vox status de his sape, si homines atatem in iisdem ducunt, usurpetur. Pariter societates, in quibus aut aliqua natura necessitate, aut per nos ipsos, vivimus, vita genera non sunt; ut parentum & liberorum, herorum atque servorum, mariti & uxorium, imperantium ac civium, societates. Ut enim officia, quæ in his occurunt, ex finibus earum derivantur, & confociationis alicuius, non proprii vita generis, effectus sunt: ita omnes, qui in his sunt constituti, per certum vita genus demum suam & suorum vitam tueri laborant. Quæ vero de servorum conditione objici possunt, ex iis, quæ inferius occurrunt, dissipari poterunt facillime.

§. VI.

Interim ne ipsa vox generis vita ambiguitatem patiat, adjici haec tenus dictis commode posse videtur, quod vita

ET SUBORDINATIONE.

vita in hac vocum combinatione non eam, quam physici & medici, physicorum filii, explicant motuum corporis internorum ordinem & perennitatem, sed mediorum vivendi conquisitionem, & cum aliis nobiscum hominibus communicationem, exprimat. Genus vero est modus & ratio peculiaris, secundum quam haec media, sive proximiora sive remotiora, obtinentur, aut nobis circumponuntur. Rustica vita proxima dat media, quibus homines conservari, si corpus respicis, possunt, sed reliqua, quotquot sunt, vita genera pecuniam fere, tanquam medium eminens, quibus reliqua comparantur, nostra aetate in civitate affrunt, ut ex opificiis, artificiis & mercatura, in vulgus notum est.

§. VII.

Atque huic vita generi otium opponi consuevit, quo non inertiam quandam, aut desidiam, qua omnes labores honestos excludit, sed vacationem aut cessationem a negotiis, qua vita genus secum fert, intelligendam esse facillime intelligitur. Vita genus propria negotia, proprias actiones, aut directionem propriam aliorum, qui negotia vita nostrae exercent, requirit: otium nec exercet haec, nec ut exerceantur dirigit. Vita genus sibi & aliis vivendi mediis prospicit, cum otium paratis tantum fruatur, & animo indulgeat, non tam conservationem, si laboribus uititur, quam delectationem, quarens. Frustratur ergo is, qui in otio est, modo aliorum bonis, uti in mendicitate videntur, modo suis, sive antea acquisiverit studiis suis, sive acquisita acceperit, ut ii, qui redditus bonorum suorum consumere consuevere. Exin est, quod veteres in otio esse fere tantum pro cessatione a confuetis vita generibus

B

acce-

acceperint; ita ut otium s̄p̄ius fere in bonam quam in malam partem capiatur. Otium est vacatio quæcunque, opponitur modo laboribus, ut cum deambulando aut ludendo tempus, vel sermonibus horas, consumimus, modo iis tantum negotiis, quibus consuetum genus vitæ utitur, ut cum negotia meditationibus, ut animus fert, vel scriptione eorum, quæ per otium obvenere, distinguimus. Ita CICERO neiminem posse otium suum reprehendere, passim asseruit: cum in eo non modo semetipsum hebetescere & languere nolit, sed etiam ut plurimis profit enitatur. VALERIUS MAXIMUS quoque hoc otium in Scipione & Lælio, ac Q. Mutilio Scavola, Augure, *L. VIII. C. VIII.* collaudavit. Quod si quis propter desidiam aut voluptatem in otio est, hoc ipsum turpe fit, ac contrahit vitium. Demum otium negotiis, quæ reipublicæ causa geruntur, & iis fere generibus vitæ, quæ inferius civilia appellabimus, opponi consuevit, & conditionem vel rationem vitæ exprimit, qua nobis tantum, & studiis sapientiæ, vivitur, non reipublicæ, & iis, quæ dat, muneribus. Hoc est, quod SENECA de otio & secessu sapientis defendit, quodque innuit: *dus maximæ, inquiens, in hac re dissident sectæ, Epicureorum & Stoicorum, sed utraque ad otium diversa via mittit. Epicurus ait, non accedet ad rem publicam sapiens, (accedere ergo ad rem publicam sive munera ejus capeſſere, atque in otio versari, sibimet opponuntur,) nisi si quid intervenierit. Zenon ait, accedat ad rem publicam, nisi si quid impedierit. Alter otium ex proposito petit, alter ex causa.* Nobis hoc ipsum otium vacationem ab omni vitæ genere, sive ex natura hominis sive ex civitate proxime oriatur, notabit, ut oppositio sit integra atque liquida,

quida, cum, ut cum SENECA loquar, ingens copia rerum
fine nomine sit, quas alienis commodatisque appellatio-
nibus notare convenit.

§. VIII.

Atque per hæc quidem, quæ de vita genere & otio
ex communi omnium experientia hactenus perscripta
sunt, ad definitionem utriusque philosophicam, sive no-
tionem præcisam atque essentiale, devenire licebit, ut
divisiones postmodo rite erui possint. Vita genus enim
nobis est conditio vivendi inter alios externa, qua per exer-
citium negotiorum quorumcunque socialitatis nostram
conservationem externam querimus. Finis est conser-
vatio nostra externa, ita ut de vita generibus in prudentia
vivendi, quam nonnulli politicam omnium universalem
dicunt, præcipiendum sit. Medium est exercitium nego-
tiorum socialitatis, quibus dum aliis prosumus, nobis si-
mul vivendi circumponimus media. Otium nobis est
conditio vivendi inter alios externa, qua per exercitium
negotiorum societati inutilium nostram delectionem,
propensionibus conformem, querimus. Finis est delecta-
tio, quæ corruptis propensionibus, socialitati veræ adver-
sis, respondet, ut cum voluptate diffluunt homines, invidia
sibi solis vivunt, ambitione nullis se, nec reipublicæ, na-
tos credunt, cum alii studiis suis haud digni inveniantur.
Medium est exercitium negotiorum societati inutilium,
licet oblique aliis prosint, ut si quis lucro bona paterna ab-
liguriret, & suis caupones redderet ditiones.

§. IX.

Quo vero utraque definitio adhuc liquidior red-
atur, natura negotii excutienda venit, cum in omnium ore

fit negotium, a paucis intelligatur. Evidem per negotium non quamvis actionem singularem intelligi, vel inde patet, quod unum negotium, ut disputandi, agendi in foro &c. plures actiones secum ferat; ita ut negotium complexus plurium actionum, ad unum aliquod felicitatis medium conspirantium, esse debeat. Felicitas per se bonorum, id est mediorum felicitatis, fruitio est, qua hominis mentem, corpus aut statum, physice perficit, actiones nostræ circa hæc bona versantur, eaque, si bona sunt, nobis-
cum conjungunt; ita ut tota prudentia sit perfectionis aut felicitatis conquisitio per bona beneficio actionum humana-
rum, &, si rem rite astimes, tantum circa media felicitati-
tis occupetur. Negotium vero est cujuseunque boni, sive
veri sive ficti, quæsitio per plures ad hoc obtainendum re-
quisitas actiones, quo ipso tale bonum pro fine tantisper
supponi, & actiones pro mediis, fini oppositis, haberi con-
sueverunt. CICERO' eadem virtute hac voce usus est,
cum Offic. L. I. c. XXI. in omnibus, inquit, negotiis, prius
quam aggrediare, adhibenda est preparatio diligens. Res
quoque sapissime dixit eadem vi; uti Græcis ἔργα dice-
bantur, secundum Epictetum in Enchirid. C. XXXIV. ἐναέρες
ἔργα οὐκέπει τὰ παθητέμενα, καὶ τὰ αἰσθατά αὐτὲς, καὶ ἔτι τὰ ἔργα
ἐπ' αὐτό. Veteres, usum in civitate vel maxime spectan-
tes, negotia cuncta, quæ utilia judicabant, in res bellicas &
urbanas divisere, quænam harum majores essent quæstitu-
ri. vid. CICER. c. I. C. XXI. In utrisque excellere summa
laudis erat, uti Drusum Claudium, fratrem Neronis, tot
tantarumque virtutum adolescentem VELLEJUS PA-
TERCULUS L. II. C. XCVII. deprædicavit, ut utrum inge-
nium ejus bellicis magis operibus, an civilibus sufficerit
artibus, in incerto fuerit.

§. X.

§. X.

Negotia hæc in vitæ generibus sunt negotia sociatatis, id est, quæ circa bonum aliquod versantur, quod in usum aliorum juxta nos hominum cedit, aut cedere potest. Illa bona proximi re ipsa eadem sunt, quæ nostra; nam homo cum homine convenit. In genere itaque vel certæ perfectiones mentis vel corporis, vel certæ res, extra hominem existentes, sunt, quibus homo vel ad nudam conservationem vel felicitatem vitæ opus habet, sive felicitas illa vera sit, sive imaginaria. Sapiens mentem alterius erudit sapientia, medicus sanitatem restituit interturbatam, lanista robur & agilitatem corporis, saltandi magister decorum ejusdem & elegantiam, curat, opifex instrumenta vitæ suppeditat, ut ars histrionica delectat. Quare si quis hæc, quæcumque sunt, bona sibi tantum adjungit, non aliis, ut si quis sibi vestimenta, sibi nutrimenta solummodo comparet, vita genus exercere dicendus non est. Et hæc quidem vita, qua nos conservatur simul alios conservamus, & hæc negotia, quæ sociatatis sunt, dubio procul summam laudem merentur. Ut enim in hanc vitam non tantum nostri, sed aliorum quoque gratia, a Deo collocati sumus, cum finis Dei communis sit omnium salus: ita vivere is demum in societate humana recte dicitur, qui societati vivit. *Est enim fortunatus ille, cuius ex salute non minor pene ad omnes, quam ad illum ventura sit, letitia (vel felicitas & excellētia) pervenerit,* secundum CICERONEM pro M. MARCELLO c. i. Hominem ergo, utpote in societate natum atque educatum, in societate consideramus, in qua non a se tantum, sed ad aliorum pariter salutem refertur.

B 3

§. XI.

§. XI.

E contrario in otio occurunt negotia infocialitatis, si ita loqui licet, quibus aut nihil ad aliorum fructum confertur, aut nocetur potius quam conducitur aliorum hominum felicitati. Negotium infocialitatis est, quod circa bonum versatur, cuius nullus est ad emolumendum aliorum hominum usus, cum ad solam propensionem nostrarum expletionem faciat. Talia bona vel nobis tantum profundunt, & nullam cum aliis habent communionem, sicuti sceneratores sibi tantum vivunt, vel aliis quoque nocent, ut iniquo scenore viventes, imo lusores, & qui ollas fortunæ in suum tantum usum vertunt, huc non sine ratione referuntur. Quinimo si quis precando, aut studio pietatis, quod sibi persuasit, & precibus secundum dies horasque distributis, bona etiam mente vacare, & his solis ducere vitam vellet, quod studium in monachatu atque eremitica vita, si hanc benignissime interpretamur, conspicuum est, negotium a socialitate alienum exerceret, atque in otio, non in vita genere, versaretur, v. THOMASII *Prudentia Consultat. c. V. §. 3-11.*

§. XII.

Collimant vivendi genera ad nostram externam in hac vita conservationem, per quam quiequid nobis in hac vita prodest intelligere licebit. Sive enim ad necessitatem quis genus vitæ referat, sive ad felicitatem, sive ad splendorem, cum damno etiam suo, aut minimum sine ullo emolumento, rempublicam sustinere cupiat, non secedit a sua suorumve conservatione, siquidem & dignitas, quam familiæ & genti suæ adjungit, conservationis aut utilitatis habeat plurimum. Nec illum, qui invitus quoque

quoque & imperii, quod cives regit, arbitrio negotia reipublicæ cum summo etiam sui suorumque discrimine suscipit, genus vitæ exercere ullus negabo; nam in fine hujus explicando non tam quid necessitate superveniente secum ducere possit, quam quod per suam, quæ ei necessaria est, naturam secum ferat, atque ferre debeat, requiri mus. Verum id, quod otium dicimus, non conservationem, sed delectationem tantum querit, & otiosus nil aliud omnibus suis negotiis consequatur. Quanquam enim quodlibet genus vitæ suam sibi junctam habeat suavitatem, honestissimus enim quisque honestis actionibus delectatur: tamen non delectationis sed conservationis gratia suscipitur, ut alterius emolumentum nostro adjungatur, propria quippe, si secundum naturam sit, & aliorum conservatio sibi non officiunt, sed opem ferunt. Delectatio hoc loco non quævis est suavitas, qua animus perfunditur, nec gaudium illud, quod conscientia recte factorum secum fert, sed cupiditas propensioni sua, & ejus finibus, qui ad proprium modo commodum spectant, satisfaciendi. Homo enim, ex quo labem contraxit, naturæ vitio sua, omnia, quæ agit, non ad Deum, neque ad alios juxta se homines, sed ad se tantum referre consuevit. Si quis ambitione ductus studiis incumbit, ut ea speculetur, & sibi sapiat, nec cum aliis communicet, si quis differentia animi permotus bona sua edit, si quis commoditatis studio patrimonio suo tantum fruitur, si quis luxuria deditus ventrem tantum colit, hanc intendit delectationem, quam otio tribuimus. Fieri quidem potest, & saxe fit, ut necessitas imponat jugum otii, quando mediis, ad vitæ genus necessariis, homines destituuntur aut
privan-

privantur, ad mendicitatem scilicet adacti, aut aliorum fraude privati occasione, aut viribus corporis ob valetudinem adversam destituti, consequi, quod cupiunt, non possunt: sed necessitatis casus non evertunt fines, qui ex natura mediorum colliguntur, nec definitionum regulas tollunt, exceptiones enim sunt. In utraque, cum vita generis tum otii, definitione, fines proximi, & cum mediorum natura consentientes, tantum nominare coveniebat, adventirii quippe atque fortuiti supervenire innumeri possunt. Nec finem, quem adduximus, generis vita evertit, quod hoc ipsum simul reipublicæ aut societatis humanae commodum respiciat, & ab optimo quovis hac referatur: nam hic negotiorum proximus effectus non quaeritur, sed quorundam omnia negotia totius vita generis colliment, observandum est. Quod si quis per vitæ genus sua & vitam suam superveniente necessitate perdit, aut lubens profundit, ut claræ mortes, pro patria appetitæ, testantur, hoc tamen per totum vita genus non quæsivit, neque unius negotii effectus fortuitus toti vita generi adscribi poterit. Nec milites pro republica mori volunt, militiam appetentes, sed pro republica vivere & vincere, ad utrumque, vincendum moriendumve parati.

§. XIII.

Ex tota generis vita explicatione obscurum nemini erit, hominum quemlibet ad vitæ quoddam genus præparare semet debere, illud amplecti, & a solitudine affectata, in qua non est vita genus, semet abstinere; siquidem nulla est in vita hac externa, vera, & Dei finibus respondens, sui conservatio, nisi quæ per negotia socialitatis sit & obtinetur. Neque otium, uti ex definitione facile

-PRVITQ

facile colligimus, secundum naturam est, nisi a necessitate impositum, & omnis monachatus, sive in abstinentia à generibus vita, sive in exercitio precum & pietatis affectato, sive in paupertate & mendicitate sponte appetita, statuatur, contra naturam & naturæ autorem erit. De otio tamen sapientum, quod dicunt, aut eruditio, uti nostri sæpe loquuntur, distincte dicendum erit. Otium namque sapientum vel pro animi a negotiis vita generis remissione sumitur, & omnium consensu caret vitio, vel pro vita, quam integrum, aut maximam partem meditando ducimus, accipi solet, cuius licita natura in disputationem tracta fuit. Cum vero sapiens ea, quæ de optimis & utilibus generi humano rebus excogitavit aut collegit, vel docendo vel scribendo ad usum societatis humanæ confert, & vel honore contentus, vel mercede adjutus, vitam suam tueretur atque conservat, reapse genus vita exercet, quanquam a nonnullis otium dicatur. Nihilominus, si civis est, & occasio adest genus vita in civitate, cui se aptum videt, vel publicum aliquod munus, suscipiendi, ad hoc ipsum vel ob hanc causam tenetur, quod non hominis tantum, sed boni etiam civis, officia debeat explere, cum homo civis sit. Zenonis vox, quam SENECA de otio sapientum C. XXX. exhibit: *accedat sapiens ad rempublicam, nisi si quid impedierit, cum ratione consentit.* Causa autem illa late patet, subjicit SENECA, *si respublica corruptior est, quam ut adjuvari possit, si occupata est malis: si parum habebit autoritatis aut virium: si valetudo illum impediet.* Necessitate enim excusabitur sapiens, non arbitrio suo, aut facta privatæ vita amoenitate. Et de hoc affectato Græcorum philosophorum a republica secessu intelligi QUINTILIANUS

LIANUS debet, aut nil habet, quod reprehendat, aut de solis oratoribus formandis loquitur, *Instit. orator. Lib. XII. C. II.* Quapropter, inquiens, hæc exhortatio mea non eo pertinet, ut esse oratorem philosophum velim, quando non alia vita sc̄la longius a civilibus officiis, atque ab omni munere oratoris, secessit &c. Atque ego illum, quem instituo, Romanum quendam velim esse sapientem, qui non secretis disputationibus, sed rerum experimentis atque operibus, vere civilem virum exhibeat. Nam uti soli sapientiæ deditos Græcia tulit, Roma nescivit; ita illi, qui in republica sapientiam docent, a republica non absunt. Ejusmodi sapientis, qui invitus rempublicam deseruit, & docendi munus cum secessu scribendi permutavit, nostra ætas in Petro Baylio, philosopho & historico insigni, tulit, cuius otium, si ita appellari queat, postquam inimicorum, Jurieui maxime, invidia historia atque philosophiæ professionem, cui Roterodami præfuit, deserere coactus erat, plus forsan eruditis profuit, quam amplissimum aliquod in civitate munus. vid. *Histoire de Mr. Bayle & de ses ouvrages par Mr. de la Monnoye p. 8-31.*

§. XIV.

Jam de genere vita, & quod ei opponitur, otio ab unde constat; sed nexus vita generum nondum in aprico est, quem ex divisionibus, rite formatis & coordinatis, intelligere licebit. Nexus vita generum est mutua conjunctio, qua se invicem generant, & sustinent, ut omnia demum ad unum communem salutis humanæ finem queant conspirare. Sequuntur ex partibus definitionis divisiones, ex his patet hæc, quam quarimus, connexio. Vita genus est conditio vivendi externa; sed cum genus proximum

mum non proprias rei, sed cum opposita communes, divisiones dare queat, una divisione rem absolvam. Conditio enim vivendi externa vel voluntaria est, vel involuntaria, illam proprium arbitrium, hanc superior nobis vis, imponit. Vitæ genus voluntarium eligitur, involuntarium injungitur: unde hoc rursus vel per necessitatem, si quis ad mendicitatem redactus ad inferius suo quondam vitæ genere descendere cogitur, vel per obligationem introduci poterit. Obligatio hæc vel ab imperio civili oritur, cum princeps invitum ad rempublicam trahit, vel cives invitatos adigit ad militiam, vel ab imperio paterno, ut sunt destinationes parentum, oritur; nam patronorum & amicorum suationes electioni non repugnant. Quousque autem parentum jus in destinationibus ad genera vita exporrigitur, jam non explicamus; quanquam sint, qui in utero etiam infantes Theologæ maxime, aut sacro ecclesiæ ministerio, consecrari posse, ita ut adulti sequi parentum vota debeat, asseruerint, vid. M. SAM. THEODORI SCHMIDII *dissertatio de Theologis, in utero Deo consecratis. Lipsiae An. 1713. Iccce v. i. habita.*

§. XV.

Quemadmodum vero generis evolutio parum aut nihil ad nexus generum vitæ eruendum confert; ita ex differentia, ejusque partibus, evidentissime apparebit. Medium, quo utuntur vitæ genera, est exercitium negotiorum: sed negotiorum gestio vel per nos vel per alios fieri consuevit, quam scholæ mediatam & immediatam dicunt. Quare immediatum vitæ genus est, quod quilibet per se, sive per proprias actiones externas, quæ negotia ingrediuntur, exercet, uti in professoribus academicis vel

maxime conspicuum est, quibus ne quidem alium in locum & vicem suam substituere licet. Mediatus erit, quod per alios, quos ad scopum nostrum dirigimus, geritur; ita ut moderatores magis quam gestores simus negotiorum, prout mercatores possunt per institutores tabulariosque, perque juniores mercatores suos, commercia exercere. Talis moderator vere in vita genere versatur, nec in otio est, licet modo plura, modo pauciora sibi sumat negotia. Evident dantur vita genera tam ampla, quæ vel ob laborum copiam, vel ob commoditatem, vel ob promptitudinem rerum expediundarum, sine aliorum auxilio geri nequeunt, ita ut exin personæ varii generis subordinatae oriuntur, quibus perpetuo negotiorum magistri opus habent: sed cum in his ipsa vita generis capita officium suum constanter faciant, tale vita genus mediatus dici nequit, quemadmodum in magistratum muneribus satis superque appetet.

§. XVI.

Medium integrum & proprium vita generis exercendi sunt negotia socialitatis: ast hæc differunt secundum naturalem, quem dicunt, & civilem statum. Status, vel conditio vivendi, naturalis est, quo homo secundum rationis suæ ductum suam & aliorum conservationem atque felicitatem quaerit: ita ut mihi non ea sit solitudinis miseria, quam sibi illustris PUFENDORFIUS cum *in dissertatione academica de statu hominum naturali* §. 5. tum *in jure naturæ & gentium L. II. C. II. §. 12.* imprimis representavit, quamque naturæ humanae, atque autoris ejusdem Dei, finibus adversam esse facilime probatur. Status, vel conditio vivendi, civilis est, quo homo secundum impe-

imperium humanum, ejusque leges, suam & civium suorum communem conservationem atque felicitatem conlectatur. v. MULLERI *Philosophia, facultatibus superioribus accommodata*, P. II. p. 26. 126. seqq. & p. 189. seqq. Erunt ergo alia vitæ genera naturalia, alia civilia, five alia status naturalis, alia status civilis: illa ex natura hominis sola, ejusque finibus tantum, oriuntur, & ita simul cum genere humano originem, serius aut citius, traxere; hæc ex natura civitatis, vel civilis imperii, prodeunt, & cum civitatibus orta, aucta, & propagata sunt. Vix paradisum relinquere coactus primus homo erat, cum Deus, qui providentia sua semper omnibus vitæ necessitatibus prospexit, ei suggereret vestiendi modum Gen. III, 21. Polire & usibus adaptare ferrum Thubalkainus non sine providentia divina docuit, Gen. IV, 22. uti agri & pecudum cultum Adamus ab omni ætate, qua sibi labore prospexit, exercuit. v. BARBEYRACIUS ad PUFENDORFIUM L. II. C. II. §. 2. n. 5. Verum in civitate tot munera militum, consiliariorum, judicum, doctorum publicorum &c. prodierunt, quæ natura, sibi relicta, ignorabat, de quibus, si generalis quædam delineatio placet, legi PUFENDORFIUS poterit J. N. & G. L. VII. C. II. §. XXI. ad f. Cum status naturalis ab imperio humano, si strictius, quod dicimus, accipitur, immunis sit; vitæ genera naturalia cuiuscunque homini libera sunt, ita ut in civitate quoque arbitrio cuiuscunque fuerint relicta. Secus se res habet cum civilibus, quæ cum imperio orta, per imperantem aut jubentur, aut conferuntur, cum libera eorum potestas civibus competere non possit.

§. XVII.

Utraque subdividenda sunt, ut connexio omnium introspiciatur: in quo quidem non opus est ad infima quæque descendere, cum a nullo fieri queat, sed summa tantum genera exponam, & omnem eorum familiam per capita quasi enumerabo. Scilicet naturalia ex communi omnium natura capiuntur, si bona hominis excutere & dividere placet. Bona enim humana, simul ac comparantur, & in usum aliorum juxta nos hominum, cum his ipsis permuntantur, negotia pariunt societatis, & per hæc ipsa vitæ externæ genera. Sunt hæc bona, prout superius explicatum est, vel proprietates quædam ipsius hominis, vel res, quæ extra hominem existunt: hæ tamen & illæ ad perfectionem, conservationem aut felicitatem, naturæ humanae referuntur. Proprietates tales bona interna, res alias bona externa dicimus. Interna vel sunt proprietates mentis vel corporis: externa vel a natura, vel ab arte suppeditantur. Omnia hæc rursus vel necessitati vel commoditatí s. propensionibus, subveniunt; ita tamen, ut hæc aut naturæ propensionum ipfi, aut connato his post contristam omnium labem vitio, satisfacere possint. Bonum mentis doctrina sapientia atque prudentia, bonum corporis sanitas, bonum externum necessitatis vestimentum, bonum commoditatis ædificium, bonum naturæ propensionis respondens eloquentia, bonum vitio ejusdem proprium agyrtarum exercitatio est, quam præstigiatores & circulatores circumforanei variis modis nostra aetate exercent. Et enim hoc loco omnia, qua sunt, aut ab hominibus creduntur, bona in classes suas describimus; cum omnibus, si in medium socialitatis, sive vera sive corrupta, convertuntur,

tuntur, vita generata utantur. Insignis exinde vita generum numerus evasit, sive necessitas, sive libera hominum meditationio, iis dederit occasionem; licet extra civitatem separari non debuerint, & unus potuerit plurium, quae ingenium atque artas admisit, homo esse.

§. XVIII.

Quo vero haec vita generum ex tot bonis, vel veris vel fictis, progeneratio clarior evadat, singula bona secundum quendam exinde genera vita in scenam producam. Ex bonis mentis atque animi humani necessariis ad sapientiam & virtutem institutio orta est, ut animi humani ad utramque formarentur: nam contemplari non est vita genus, sed contemplationes in usum aliorum conservationis propriæ gratia tradere, vita genus efficit. Antiquissimos poëtarum hoc munere defunctos esse ex historiis constat, quo ipso tantum sibi nomen acquisivere, ut omnis sere ad humanitatem institutionis parentes concelebrarentur. Hinc est, quod tot populi, tot civitates, de unius poëta, HOMERI, patria sibi afferenda decertaverint; nam, ut cum CICERONE pro Archia Poëta C. VIII. loquar, *Colophonii civem esse dicunt suum, Chœru suum vindicant, Salaminii repetunt, Smyrnæi vero suum esse confirmant, itaque etiam delubrum ei in oppido dedicarunt, permulti alii præterea pugnant inter se, atque contendunt.* Nec item penitus sustulit ipse LEO ALLATIUS, qui superiori seculo de patria Homeri libro singulari populorum contentiones prolixissime descripsit. Ex bonis corporis necessariis gymnica veterum artes prodiere, quibus corpus laborum & injuriarum, quae illud in hac vita circumstant, patiens formare eritebantur; quanquam delectatio & veni-

tas,

tas, quæ ubique inter homines regnat, varia adjecerit, quibus saepe consultius est carere, quam uti. v. GERHARDUS JOH. VOSSIUS *de quatuor artibus popularibus C. III.* Ad propensiones animi explendas varia prodierunt artes, quæ animum simul & corpus afficiunt, ut musica & graphica, ab eodem VOSSIO *ibidem C. IV. & V. de scriptæ.*

§. XIX.

Externa bona, quæ a natura suppeditantur, etiam si sponte proveniant, labore tamen, si colligi, proba esse, & sufficere ubique hominibus debent, opus fere habent, cum homini hac in vita labor ordine Dei constitutus sit. Huc vita rustica, sive quæ labore suo bona, a natura oblatæ, colit, & in usum humanum colligit, pertinet, tam ampla ut in species separari, ne confusio oriatur, debeat. In agriculturam & rem pecuariam communissime separatur, qua divisione etiam vita generum probus inter recentiores explanator DOMATUS sibi & rei huic satisfecisse vi-
sus est *in jure publico, quod legibus civilibus, ordini naturali restitutis, (Les loix civiles dans leur ordre naturel) subjecit. L. I. tit. XIV. p. 100. sqq.* verum si cogites, quod metalla quoque & mineræ in usum humanum eruantur, & præparentur, quodve volucres, pisces atque in sylvis feræ generis variæ, hominis dominio subsint; facile perspicies, vita rustica hæc omnia, si definitionem, modo allatam, exhaustire velis, vindicanda esse. Versatur quippe hæc circa res vel animatas vel inanimatas hujus, quem inhabitamus, globi; ea, quæ inanimatas tractat, vel agri vel subterraneos proventus, quos ultimos communi voce mineralium notamus, colit. Hinc agricultura, & metallurgia, quo nomine

nomine omnes, qui mineralia eruunt & præparant, desig-
nare licebit. Agricultura, in vegetabilium cultu occu-
pata, vel agros, speciatim sic dictos, vel hortos, horto-
rumque præventum curat, quæ ultima species demum va-
nitatis contraxit plurimum. Res autem rustica, quæ ad
animalia referunt, vel domestica & cicurata, homini proxi-
me ab optimo numine subordinata, tractat, vel feras be-
stias in hominum cogit potestatem. Illa res pecuaria per
excellentiam audit, hæc vel volucres, vel pisces, vel sylva-
rum feras venatur, unde aucupium, pescatura, & venatio,
quanquam hæc tria commode eadem voce venationis ex-
primi possint. Consentit JOH. JOACH. BECHERUS
in dem politischen Discurs p. 5. 6. Quantum in vita rustica
preium veteres posuerint ex scriptis cum Græcorum tum
Romanorum Georgicis, rerumque rusticarum, venatoria-
rum, imo accipitrariarum, collectionibus, satis patescit.
Pastoritia vita omnium innocentissima merito habita fuit,
v. JOH. MICH. DILLHERRI *Historia prisæ Germanie*
cum Hagelganſi observationibus p. 63. seq. nam venatoria,
utilis licet, imo necessaria, jam animi ferociam excitat mag-
gis, & ad belli studia incitat, ut etiam patribus ecclesia, Hie-
ronymo, Ambroſio, Augustino, displicerit. vid. DILL-
HERRUS c. l. p. 57. 58. 59.

§. XX.

Cuncta hæc & alia naturæ bona, quovis labore culta,
parata, acquisitaque, in humanum usum formant opifices
& artifices, quibus sine rusticis vitæ generibus materia
omnis deesset. Priscis rarus erat opificum & artificum
usus, cum sibi quilibet sua per suos fere pararet; ita ut
etiam in vetustissimis rebus publicis opifices jure civitatis

D

non

non gaudent', sed pro peregrinis haberentur. Usque adeo vero aucto genere humano aucta hæc vitæ genera fuerunt, ut etiamnum vel maxime pateant latissime. Una voce artificum & opifices & artifices, quos hodie sollicite distinguimus, complecti non incongruum erit, partim cum genere investigato & denominato species explanare commodius liceat, partim cum hæc vocis potestas jam usu fuerit comprobata. VOSSIO enim *l.c.p.1.2.* quatuor aut species aut gradus artium, ad modum quatuor classium, quæ in civium Romanorum censu observabantur, statuere placuit, artes sellularias, quas vulgo opicia appellamus, civibus proletariis five capitecensis comparatas, artes liberales, cum plebejis assiduis collatas, artes præparatorias ad philosophiam, five secundum Vossium liberaliores, equum ordini assimilandas, atque denum artes philosophicas, senatorio ordini respondentes. Nolumus hic artium nexus tam obscure tradere, & quasi e longinquò accersere, cum ex definitione artis proxime fluat. Ars est cuiuscunque rei naturalis in usus humani instrumentum per applicationem physicæ atque mathefeos facta transmutatio, uti lanam transformat pannifex in pannum, statuarius lignum aut lapidem in statuam. Omnem ergo artem aliquod opus, tanquam laboris sui effectum, extra hominem existentem, relinquere ex definitione constat, quod ipsum opus usus humani instrumentum, five rem qua utitur homo, appellare placuit. Transmutatio hæc rerum secundum res transmutandas necessario differt, atque tot erunt in universum artes generalissimæ, five summa genera artium, quo diversæ in rerum natura materiaæ sunt, quas tractant, & in quibus versantur. conf. BECHERUS *c.l.p.6.7.* Hæc ipsa tamen

men rerum transmutatio eo tendit, ut instrumenta humani usus evadant, itaque pro hujus, tanquam finis, varietate, ars pari ratione variabit. Uſus hic vel ad corpus & ad exteros corporis in hac vita labores, vel ad animum, ejusque delectationem, refertur; cum rebus hujus mundi ad alia, ut ad mentis salutem, uti non liceat. Quæ ad corpus referunt artes, opificia dicuntur, ut sartoria, sutoria, &c. quæ vero ad animum, artes per excellentiam audiunt, ut ars pictoria, ars horologia, portatilia maxime, confabricandi, ars architectonica. Ita quidem cæmentarius omnium consensu opifex est, qui, simul ac hypocauſorum laquearia gypſo inducit, aut ſigillaria exin format, artificis titulo cohonestatur, cum cæmentatio ad corporis uſum, gypsatio ad animi delectationem, quæ elegantia & ordine rerum imprimis nititur, referri magis conſueverit. Ita quidem de opificiis & artificiis ſentio: aſt vulgi de his ſenſus tam adverſi invicem, & eruditorum hominum non paucorum notiones tam vagæ & indeterminatae ſunt, ut ſumma imis- misceri videantur.

§. XXI.

Imprimis illa, quæ de artibus liberalibus & illiberalibus ſis circumferuntur, quod artem ad animum retulerint, fatis probat, ſed dividendi nullum affert fundamentum. Rem ſequenti modo commode percipi & in ordinem redigi poſſe, mihi quidem videtur. Omnia, quotquot ſunt, artium, generaliſſime acceptarum, principia physica ſunt atque matheſis, cuius utriusque cognitio rebus formandis transmutandisve adhibetur. Reducuntur quippe harum omnium regulæ vel ad physicam vel ad matheſin, uti ars pictoria, physico-mathematica, facillime probat;

D 2

imo

imo ab ingenii philosophicis omnes originem traxisse, prout de Bione quodam, qui omnia sua sibi effecerit corporis & vitæ instrumenta, refert LAERTIUS, historiæ testantur. Physica ergo & matheſis non est ars, sed scientia, animique ſoli habitus, ſuperior artibus, ad ſolam mentem vel animum humanum pertinens, ita ut animalia quoque artes exprimant naturæ ductu, physicam atque matheſin poffideant neutiquam. Applicatio utriusque varia perit, nam cum ad res extra hominem conſtitutas fit, artes, jam diuīſas, producit, ſi vero ad corpus ipsum humanum reducitur, exercitia corporis efformat. vid. LEIBNITZII *nova methodus diſcende docendæque jurisprudentiae p. 17-20.* Sic muſica eſt corporis exercitium, non ars proprie dicta, ſaltatio, equitatio &c. exercitia ſunt. Quod ſi tamen hæc exercitia ad artes reſerve velles, prout eadem ſupra more recepto artes appellavimus, liberales erunt, & res, qua in uſu humani instrumentum per artes formantur, vel ipsum hominis corpus, vel extra hominem poſita corpora, notabunt. Mifcentur artes & exercitia, ut in re naūrica vide-re eſt, ſi latiffime ſumitur. De liberalium vero atque illiberalium artium diſtinguitur ex antiquorum uſu judicare noſtra atate haud licet, cum quam hodie omnes veneramur, & quam Aegyptus pene in cœlum fuſtulit, optimâ medicina, apud Romanos diu deſpectui habita fuerit, & mulierculis ſervisque relicta. Ex artificiis noſtra atate multi apud multos abjecti habentur, ut citharoedi & ſcenici artifices, qui quondam ob honorem, quem iis habebant, multarum erant homines civitatum. Alii vel artifices, vel quovis modo eruditii, noſtra atate publicis ſumtibus aluntur, ut Grammatici, Rethores, Medici, qui ſibi quondam pere-

peregrinando famæ vitæque media quæsiverunt, circulatores, vel περιοδευταὶ, ideo a Jureconsulto *Modestino l.6. D. de excusat.n.i.* dicti. vid. EZECHIELIS SPANHEMI *orbis Romanus C. IV. p.30. seqq.*

§. XXII.

Omnes artes, cujuscunque generis, si vitæ genera formant, rei rusticæ proventibus utuntur, sed hæc ipsa variarum artium usu ad sui perfectionem opus habet, ut ubique mutui auxilii consensio observetur. Artes tamen liberales illiberalesque, imo ipsa corporis exercitia, quæ, si placet, liberalibus artibus adjungimus, inter se rursus peculiarem habent cognitionem, qua intimus adhuc connectuntur. Etenim primo unum opificium, vel ars illiberalis, alteri dat materiam, jam præparatam, postquam eam a rustico sine præparatione accepit. Pecudes dat rusticus lanioni, cutes pecudum lanio coriario, cerdoni & membranario, coriarius corium futori pluribusque aliis, cerdo suum subactum & adornatum loculorum & chiro-tecarum confectori, membranarius membranas suas librum compactori &c. qui omnes operas suas omnibus distribuunt. Secundo ars, sive liberalis sive illiberalis, alteri cuicunque, imo pluribus, dat operarum suarum exercendarum instrumenta, uti instrumentorum mechanicorum artifices omnibus fere vitæ generibus his ipsis præsto sunt. Tertio exercitium unum alteri, ut musica arti saltandi, palaestra armorum exercitio, succurrit. Omnes ergo artes, & artificia omnia, quibus altera aut alterum ad operas suas, materiam aut instrumenta paranda, necesse habet, primariam aut primarium, reliquas aut reliqua, secundarias vel secundaria appellamus. Maximus hujus di-

D 3

visio-

visionis in artibus rite instruendis usus est, cum si pannifices alere velles, ad tinctores lanarum & ad lanificas aut lanificos, abhinc ad pastores & eos, qui oves alunt, descendere debeas. Unum ergo idemque opificium hujus ratione primarium, ut pannificium ratione eorum, qui pannum forsicet tondunt, & politura levigant atque compri-
munt, & ratione alterius secundarium, sicuti jam perspeximus, deprehenditur.

§. XXIII.

Atque in his ipsis artibus, & opificiis, necessitas, utilitas, imo vanitas, ubique cernitur: & artes liberales, exercitia imprimis, cum ad animum vanum delectandum se-
piissime referantur, propensionum, saepe absurdarum, exer-
citio campum amplissimum aperuere. Raro homines se
& sua necessitate naturæ, quæ contenta paucis est, metiun-
tur: sed vanissima quaque maximum pretium acce-
perunt, ita ut vanis & infrugiferis artibus permultos deditos
esse comperiamur. Verum cum hoc ad nexum vitæ gene-
rum nihil amplius conferat, nil aliud adjiciam, quam quod
ex probis vanisque artibus proba quoque & vana prodie-
rint commercia, de quibus adhuc aliquid erit subjun-
gendum.

§. XXIV.

Commercia nascuntur ex vita rustica & artibus
omnis generis, probe exercitatis, sed exercitia hic nil fa-
ciunt. Non omnis tellus omnia fert, neque una gens
omnibus artibus facile eminet atque excellit, ita ut utrum-
que homines ad commercia aut invitaverit aut adegerit,
quo rerum copia acquiratur, aut suppleatur inopia. Omnes,
qui rusticam vitam, aut qui artes & opicia, colunt, ven-
dere

dere sua possunt, aut permutare, imo exercitorum magistrorum, ac totius eruditionis doctores, sua vendunt, ut vivant inter alios, aut commode conserventur. Totus, qua patet, hominum coetus hoc sensu emit venditque; neque tamen vel talis emtio atque venditio commercium, neque tales emtores & venditores mercatores, aut commercantes, appellantur. Mercator est, qui a rusticis & opificum atque artificum diversis vita generibus usui humano appositas aut præparatas res, quas merces dieimus, coëmit, & conservationis gratia divendit: nam collybista, aut pecunia commutatores, extra civitatem, cum nummus nondum existeret, existere non poterant. conf. DOMATUM c. l. p. 96. seq. Primum genus est eorum, qui naturæ proventus, secundum eorum, qui artificum & opificum res venales coëmtas vendunt. In civitate vero in eos, qui res domesticas, sive a natura sive ab arte oblatas, exportant, & alios, qui peregrina important, ac per civitatem aut alias civitates distribuunt, poterunt distingui: reliquas enim divisiones jam scientes volentesque præterimus. Inter omnes, quotquot sunt, mercaturæ species, eminent innocentia eorum, quibus gens abundat, cum exteris communicatione, germanis antiquis usitata, cum plurimis aliunde adiectis carere civitas possit, ni opibus & potentia efflorescere cupiat. v. DILLHERRI Hist. prisæ Germanie cum observat. Hagelgansii p. 64. seq. Illæ enim divitiæ perpetuæ sunt, quæ nobiscum naſcuntur & propagantur; ita ut Belgium foederatum vel ideo tot bellis incommodis involvatur, quod merces, ex quibus se maximam partem nutrit, e longinquo & ab exteris accersere necesse habeat.

§. XXV.

§. XXV.

Demum ut commercia, artes, opificia, & ipsa r̄es
rustica rite ac exquisite colantur, opus est physica & ma-
thesi. Religionem & morum doctrinam, cum omnibus
aliis eruditionis partibus, supra ad mentis animique for-
mationem retulimus, sed physica & mathesis format
omnia, quæ sunt, aut perficit naturalia vitæ genera, &
hoc respectu separatim expendi meretur. Physica hoc
loco est corporum hujus mundi visibilis per principia sua
cognitio, sive somatologia, mathesis est quantitatis horum
corporum, cum existentis tum possibilis, scientia. Si accu-
ratius rem astimes, utraque physica est, illa qualitatum,
hæc quantitatuum, de quibus jam non erit disceptandum.
Evidem non negarem, virum bonum atque sapientem sine
utraque esse, immo felicem esse posse, siquidem vera sapien-
tia actione virtutum magis, quam speculacione rerum na-
turalium, constat, & CICERONIS effato sapientis proprium
est, nihil quod pœnitere possit facere: nihilominus hu-
manam hanc, externamque, societatem perfectam sine
his aut esse aut fieri posse, omnino negarem. Physica at-
que mathesis universales sunt scientia, quæ omnibus ar-
tibus præsunt, quas vetustissimi philosophi imprimis in-
ter omnes fere gentes, quantum illius temporis ratione
licuit, exercuerunt, antequam aut de metaphysica aut de
logica, similibusve scientiis cogitarent. Ex quo simul
patet, utriusque hujus in bene constituta civitate peculia-
rem rationem habendam esse.

§. XXVI.

Ex his omnibus intelligitur, genera vitæ naturalia
cuncta ita connecti, ut quædam bona hominis interna, quæ-
dam

dam externa curent, omniaque ad ejus felicitatem conspicient. Illa circa bona mentis animique, & circa bona corporis versantur, ut animus sapiens & ad vitæ genera inferiora exercenda habilis & accommodus, corpus sanum, & robore ac agilitate pollens, formetur. Hæc vel ab hominibus comparantur, vel divenduntur: ex comparatione vita rustica & artes sunt, quæ in opificia atque artificia specialius dividuntur, ex venditione communicatio eorum ampla & universalis emergit. Ast in civitate alia vitæ genera ex statu civili descendunt, quæ ex medio proximo, quo in civitate ad communem omnium felicitatem enitendum est, proxime intelliguntur. Medium hoc est ipsum imperium humanum, quod majestatem dicunt, juribus constans majesticis, sive eminentibus supra omnes cives, quibus ad communem felicitatem cives adigi queant, ita ut imperium quoque per gladium in divinis literis representatum fuerit, *Rom. XIII, 4.* Quid de majestate & juribus majesticis habendum sit, ex MULLERI *philosophia P. II. p. 191. seqq.* cognosci potest; quomodo autem hæc ipsa jura ex semet invicem prodeant, huc transferri debet. Ex quolibet enim iure majestico necessario quædam vitæ genera civilia nascuntur, cum omnia ab imperio vel majestate sumant originem: & nexus horum iurium nexus erit vitæ generum civilium primarius.

§. XXVII.

- Jura majestica vel ad principis (perfectissimum quippe imperium principatus est,) vel ad civium salutem, utraque enim civitatem felicem reddit, referuntur. Illa sunt jus aulae & jus oeconomia principis: hæc autem lon-

E

ga

ga serie subdividuntur. In universum vel circa media imperandi, vel circa cives ipsos versantur, sive circa totam civitatem vivendi conditionem. Media imperandi sunt leges & potentia, quæ ipsa rursus in milites & pecuniam abit. Hinc jus circa leges, circa rem militarem, circa tributa, quibus omnis generis exactiones, maxime pecuniarias, quæ civibus incumbunt, comprehendimus. Civis ipfi, vel communis eorum vivendi conditio, cuius perfectio in civitate profine est, vel negotia externa cum aliis juxta hanc gentibus, vel propria & interna civitatis, habent. Haec rursus vel publica omnium, vel privata singulorum, bona complectuntur. Prodit exin jus belli & pacis cum aliis gentibus, & jus circa bona totius civitatis publica. Privata singulorum bona vel in ordinibus civium secundum certas classes (tot enim familiae, ex quibus civitates coeunt, sine ordine nequeunt quietam & felicem vitam agere) dignitatis atque excellentiarum, vel in vita generibus nituntur: ordo autem civium vel naturalis est, familia scilicet ipsis, marito & uxore, herbo & servis, parentibus & liberis (integrum enim familiam designamus) constantis, vel civilis, ut vasallorum & subditorum &c. Ex his jus circa ordines, & circa vitæ genera, prodit, per quæ ea omnia intelliguntur, quæ modo naturalia diximus. Omnia vita genera utuntur pecunia, tanquam bono eminente, sequitur ergo jus circa rem monetariam. Quod nonnulli addunt, dominium eminens, jus majesticum necessitatis est, vita genus nullum producens, vid. MULLERI *philosophiac. I. p. 103. seq.* reliqua autem quæ a multis multa recensentur, ex dictis prono, quod ajunt, alveo fluunt.

§. XXVIII.

§. XXVIII.

Quod si hæc jura inter se contendere placet, ipsa genesis eorum diversissimam ostendit dignitatem, maximam aula, magnam ea, quæ circa media versantur imperii, minorem reliqua jura habebunt. Cum ergo princeps, aut quicunque sint, qui majestatem habent, his omnibus exercendis cives adhibeant, ut exin simul conserventur, viæ genera civilia magno numero exclusa fuerunt.

§. XXIX.

Aula, quæ tamen extra monarchiam proprie non datur, aulicum vitæ genus peperit: sed aula non eodem sensu capitur. Totum ministerium principis, quo immediate in rebus regni atque domesticis gerendis utitur, generalissime aula dicitur: sed specialius aula est ministerium summum, principi immediate subordinatum, omnia jura majestatica autoritate principis dirigens, & hoc sensu ab œconomia principis differt. Hæc namque est familia principis majestati conveniens facta administratio, ubi princeps per œconomia suæ ministros mariti, heri, parentis officia ad honorem, abundantiam atque delectationem suam & suorum dirigit & moderatur. Bonorum ergo, quæ domanalia audiunt, directio tota huic œconomia propria est. Ast qui aulæ, specialius sic dictæ, admoventur, rerum omnium, quæ ad principem & cives pertinent, transactores sunt & administrari, quorum is, qui principe ad curas reipublicæ languecente rerum summam capit ac tenet, primarii, aut, si mavis, primicerii, nomen fert & dignitatem. Aulum principis, imprimis Germanici, latissime SECKEN-DORFFIUS descriptus, im *Deutscher Fürsten Staat*.

E 2

§. XXX.

§. XXX.

Jus circaleges omnium consensu legislatores, interpres, causarum decisores & patronos, pœnarum executores, imo apprehensores, in civitate enixum est, quæ vitæ genera singula sub magistratum, & his subordinatorum, titulo comprehendimus. Leges in civitate vel omnes & singulos cives respiciunt, universales dicendæ, & secundum officia juris naturæ status naturalis dividendæ, vel quosdam tantum, particulares denominandæ, quæ secundum civium ordines, cum naturales tum civiles, & secundum vitæ genera civium variant; in quo omne illud nititur, quod de jure, vel potius legibus civilibus, in ordinem systematicum aut philosophicum cogendis, inter summos viros hactenus sœpe fuit disputatum, vid MULLERI Academiche Klugheit P. II. Sec. II. c. 1. §. II. ad f. Atque sub hoc jure principis etiam jura regiminis ecclesiastici comprehendendi inter nostrates in confessio est, vid. REINKINGIUS de Régim. Sec. 5 Eccles. L. III. Clas. I. c. 1. n. 9. sqq.

§. XXXI.

Jus circa rem militarem variis utitur vitæ generibus, quæ imprimis secundum diversos bellandi modos differunt, a rerum militarum scriptoribus simul descripta. Collegia militaria, milites gregarii cum ducibus varii ordinis, munimentorum & tormentorum artifices, præsidarii, similesve hic locum suum fortiuntur. Juri circa tributa omnia officia illa propria sunt, quæ publicum nummum vel quæcunque publica onera, exigunt, colligunt, distribuunt, quæ sponte sua quilibet capit: nam omnis ærarium constitutio, divisio, administratio, etiam curatores frumentarii, hue pertinent. Jus belli & pacis legatos omnium

omnium ordinum, cum suis administris, rerumque apud exteros gestores, imo legationum confiliarios, peperit. Jus circa bona civitatis publica non aequa facile intelligitur, nam duo sunt bonorum publicorum genera, cum alia natura, ut maria, flumina, vias publicas, sylvas, alia cura & ars dederit, ut templa, aedes publicas, coemiteria &c. v. DOMATUS c. l. p. 60. *sqq.* Utrarumque curam gerit princeps per ministros & subordinata vita genera, imo cursores publici, & qui cursum publicum moderantur, hic sedem suam inveniunt. Nostra aetate multa hujus juris partes hinc & inde magistratui inferiori permittuntur.

§. XXXII.

Jus circa ordines civium a paucis, quantum recordor, pro dignitate explanatum legimus, nisi quod DOMATUS ordines civiles a vita generibus sollicite distinxerit, *in jure publico L. I. Tit. IX. Sect. I.* a quo tamen paulisper secedam, ratio suadet. Ordo civium vel pro omni vivendi conditione, a summo magistratu ad finem civitatis temperato, sumitur, atque vita genera has notione includit: vel pro dignitate aliqua capitur, qua cives, sine vita generibus considerati, inter se eminent, ut nobilitate, & a vita generibus distinguitur, quanquam talis dignitas vita generi autoritate civili accedat. Ultimus sensus hujus loci est. Etenim ut civitas intus gloria ampla, & virtute honesta sit, ejusmodi dignitatum ordines, ut consilio absit, & honesta adsit amulatio, ad communem felicitatem requiruntur: nam ἡ πολιτεία τῶν τὴν πόλιν ἐκόπτων ἐστὶ τούτης της. *Aristot. Polit. L. III. c. 1.* Tales ordines naturae autor in statu quoque naturali per parentum, conjugum, herorum, liberorum, servorum subordinationem condidit, naturales su-

perius dictos, quam civitas tantum ad finem & formam ci-
vitatis temperat. Tales ordines augmentur in civitate, ut
cives, in classes descripti, sine confusione, & in honesta
xmulatione existant; quemadmodum alii sunt nobiles alii
plebeji, alii cives alii rustici, alii cives perpetui alii incole,
(Pfälzburger) alii eruditi alii inerudit. Nam tales ordi-
nes, cum divisiones civium sint arbitrariae & liberae, sibi sem-
per opponuntur, quod in vitæ generibus non æque nece-
sarium est. Sunt ha dignitates civiles omnes quidem a
principe, qui hoc ipso in ordines civium jure, jus in omnes
honores publicos exercet, sed diversa ratione obtingunt:
alia enim immediate conferuntur, ut ordines equestres, &
tituli tantum officiorum publicorum, alia per collegia prin-
cipis conferuntur, ut promotiones, quas dicunt, academi-
ca, alia officiis vel vitæ civilis generibus cohærent, de
quibus modo redibit dicendi occasio. Huc omnes promo-
tores, collegia heraldica, censores publici honorum, & ce-
remoniarum magistri referri possunt.

§. XXXIII.

Jus circa vitæ genera, nutrionalia scilicet, patet latis-
sime. Siquidem vel hæc ipsa augmentur, ut occasio &
reipublicæ usus requirit, quando rei nauticæ adsuefaciunt
subditos, quam lege publica quondam ex Henricis, An-
glia regibus, septimus juvit. v. BACONEM *de Verulamio*
in historia regni Henrici VI. p. 1038. opp. vel distinguuntur
a se invicem, & in plura genera describuntur, vel coërcen-
tur in arctiones limites, prout venatoria ars probat. v.
DOMATUS c. l. p. 59. seq. Cum vero inter omnia vitæ
genera publicæ doctrinæ professio vel maxime emineat,
circa hanc ipsam principum cura semet vel maxime exer-
cuit;

cuit; ex qua varia collegia, quæ hanc doctrinam moderari debent, in civitate prodire possunt, quorum quinque optat rigidus harum rerum censor BECHERUS *im politischen Discurs P.I.C.III.* Ne vero promiscua turba imperitorum in hac vita genera involaret, eorum societates sunt constituta, quarum magistri ne imperiti, clancularii & interpolatores, irruant in curiis suis & sodalitiis prospiciunt. Commercia, quæ in ampla civitate ampla esse debent, per commerciorum collegia & consiliarios curantur, ne monopolia, propolia aut polypolia iis officiant. v. BECHERUS *c.l.p.110.sqq.* Publica doctrina in doctrinam religionis & scientiarum naturalium abit, quam utramque fere sub jure circa sacra comprehendunt. Hinc Academæ, scholæ, & ordo ecclesiasticus, de quibus ab aliis satis est disputatum. Hinc physici aut medici publici, nosocomia, & omnia ea, quibus pestiferis morbis obviam itur. Hinc censura otiosorum, mendicantium coercitio, orphanotrophia, & similia in civitatibus instituta, cum suis exin generibus vitæ, &c.

§. XXXIV.

Jus circa rem monetariam confectores, probatores, examinatores monetæ exclusit; sed nemini hæc obscura sunt. Constringi ergo horum vitæ generum enumeratio poterit, modo observemus, quod inter vitæ generum civilia, secundum jura majestatica divisa, uni semper in qualibet classe omnia subordinantur, ut Marescallo aulico summo omnia œconomia principis vitæ generæ; quod vitæ generibus civilibus, cum exercitium jurium majestaticorum complectantur, non tantum dignitas sed pars autoritatis, modo major modo minor, cohæreat, qua imperii aliquid in

in suo, quod ajunt, genere trahunt; quod ex vita generibus naturalibus, per imperium in ordinem redactis, collegia & communitates eruditorum, artificum, opificum, & rusticorum prodierint, quæ rursus sua sibi propria vita genera constituerunt, uti ex ipsa Academiæ cujuscunque conformatioне ultro cernitur; & quod denique præter hæc omnia ob communem omnium civium usum quædam prodierint infima vita genera, omnium reliquorum negotiis & necessitatibus accommoda, quæ operariorum universalium dici forsitan possent, ut bajulatores, vectores, lignorum sectores, & omnes, qui ad infima illa officia promiscue omnibus præflo sunt.

§. XXXV.

Ita se omnium sere nexus habet: sed subordinatio eorum superest, ex ipso nexus intelligenda, brevibusque adjicienda. Subordinatio vita generum est eorum inter se secundum negotia, quæ gerunt, prærogativa, ad ordinem externum determinandum comparata. Alia est naturalium, quorum norma est usus negotiorum, quem majorem minoremque vitæ humanæ præstant: alia est civilium, quorum norma est usus negotiorum, quem imperio civili, & ita civitati, exhibent. In hac ordines civium, qui maximam partem constantes sunt, (nam qui nil præter solum honorem secum ferunt, ut ordines equestris liberi, & ne quidem dignitatem aliquam conferunt, innumeris modis variant, sed ad nostrum scopum nil faciunt,) probe sunt a vita generibus distinguendi, nam horum non illorum prærogativas querimus. Inter pontificios quidem subordinationis primum fundamentum in religione quarunt, omnia

omnia civitatis membra in clericos & laicos dividentes, illis primum, his secundum locum in tota civitate concessuri. v. DOMATUS c. l. p. 70. seqq. prolixo: sed hæc subordinatio tollit imperii civilis formam, principemque subditis subjicit, a nostræ religionis sanctitate & humilitate alienissima. Nam uti principi subordinantur omnes ci- ves, ita cives variant secundum genera vitæ civilia, & na- turalia; cumque inter hæc publici quoque doctores sint, hi in doctores religionis sive clericos, & doctores studiorum civilium & naturalium, dividi debent.

§. XXXVI.

Inter naturalia ergo vitæ genera eminent negotia formandi animi, & vitæ rusticæ: illa ad mentem, hæc ad corpus in vita conservandum simpliciter & ex sua vi ne- cessaria sunt. Quam ob rem hæc duo vitæ genera, pu- blicæ doctrinæ & vitæ rusticæ, etiam in civitate, licet præ- rogativam suam mutaverint, vel maxime tamen colenda sunt. Sic Magnus I. Ladulæs, Birgeri filius, Rex Sueciae, agricultoribus lege publica a nimiis exactionibus tutos præsti- tit. v. JOC. LOCENII *Historia Suecana*, p. 93. Casimiri magnus, alias secundus, Poloniae Rex, per Germanos accessitos rem rusticam auxit, rusticorum rex vocatus. v. MARTINUM CROMERUM de origine & rebus gestis Polonorum L. XII. p. 21. Dionysius primus, Rex Lusitanie, agriculturam nervum belli & pacis appellavit, v. NEUF- FILLE *Histoire Generale du Portugal*. T. I. p. 155. ita ut Lu- sitaniæ & Hispaniæ nil magis affligat, quam vitæ rusticæ neglectus. v. d'ABLANCOURT *Memoires* p. 27. 28.

F

§. XXXVII.

§. XXXVII.

Inter civilia ea eminent, quæ plus habent autoritatis sive imperii, tanquam majestatei magis exprimentia. Civilia vero omnia prærogativa sua naturalibus anteponuntur: nam iura majestica continent, quæ supra omnes cives eminent. Naturalia prærogativam suam in civitate non amplius ab usu, quam vita humanæ præstant, de quo modo diximus, sed a connexione cum vita generibus civilibus habent: quia in civitate omnis dignitas resertur ad imperium. Sic quod primum erat natura, rustica vita, jam ultimum vita genus secundum prærogativam civilem est. Verum hæc sufficient, cum de hac subordinatione non brevi dissertatione academica, sed ampla commentatione dicendum sit. Multa scientes omitimus, ne excrescat nimis scribendi materia, multa nos fugiunt, quæ lector, reipublicæ peritus, benevole supplebit. Quam multa vident pictores in umbris & in eminentiis, quæ nos non videmus? quam multa, quæ nos fugiunt in cantu, exaudient in eo genere exercitati? CICERO dixit, & nobis adjicere licebit, quam multa vident in reipublicæ luce versantes, quæ nobis negata sunt?

F I N I S.



(o)



PER EXIMIO NOBILISSIMOQUE
DOMINO
RESPONDENTI SUO
S. P. D.
P R A E S E S.

EX quo consilium mihi tuum de ingenii tui
viribus disputatione publica periclitandis
exercendisve aperuisti, non modo id ipsum
probavi vehementer, cum in utramque partem
suscepta disputatione in Academiis bonæ men-
tes reipublicæ vel maxime præparentur, sed
varias quoque, quæ in disceptationem venire
possunt, res ex doctrina morum Tecum com-
municavi. Elegisti eam, quam hic publicæ
sententiarum collationi sistimus, de vita gene-
rum nexu & subordinatione materiam, illu-
strem fane & dignam, quæ a majoribus nostro
ingeniiis tractetur atque perpoliatur. Etenim
vitæ generum sudordinatio, de qua nobis hoc
scripto erat explicandum, tam ampla est, tan-
tis involuta dubiis, tam ex intima civilis socie-
tatis

tatis colligatione derivanda, ut nisi quis in re-publica versatus, & historiæ plurium rerum-publicarum peritus sit, vix tuto progredi, rem autem exquisite perficere nunquam, possit. Ita fere in omnibus, quæ generales naturæ regulas ad specialia in civitate negotia applicant, rebus fieri consuevit, cum magnis etiam viris magni in hac via lapsus obvenerint. Quare autor fui, ut omnem vitæ generum ex se invicem progenerationem latius deduceret, tanquam subordinationis fundamentum, hanc vero tangeres magis, quam scripto comprehenderes. Quo in labore cum eum Te præbueris, quem optavi speravique, & modestiam tuam & in re perficiunda diligentiam, omni laude dignissimam, publica hac scriptione concelebrare nullus dubitavi. Intuere modo in summos illos homines, qui in patria tua floruere & florent, & in haec virtutum honestissima exempla, quæ gens Tua præbuit, ac consultissimus Parenstus sustinet, votaque parentum, Patronorum, fautorum, amicorumque implebis largissime. Vale & me ama. Dab. IX. Kalend. Aug. An. cI^o lccc XX.

01 A 6731

ULB Halle
004 122 828

3



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Centimetres

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

15

16

17

18

19

20

Farbkarte #13

DE
VITÆ GENERVM
N E X V
ET
SVBORDINATIONE
AMPLISSIMI ORDINIS PHILOSOPHICI
CONSENSV
DISPV TABVNT
P R A E S E S
M. Gottfried POLYCAR PVS Müller,
EL ET POES. P. P. EXTR.

ET
RESPONDENS
GEORGIVS CONRADVS LEHMANN,
LIPS.

D. XXVII. JUL. AN. cIIs Icccxx.
H. L. Q. C.

LIPSIÆ,
LITERIS IMMANVELIS TITIL.